

E P I S T O L A

ceptis, nisi prorsus contrarium in plerisq; observet, ut
satis superq; suprà fuit ostensum. Ex septingentis ex-
emplis unicum tantùm proferam. Etiam si per totū
orbem terrarum conformiter in omnibus scholis pro-
ponatur hec regula: Accusandi verba, damnan-
di & absolvendi Genitivum adsciscunt, qui spe-
ciem facti significet, aut Ablativum qui genus:
nontamen ad finem veræ Grammaticæ & tui labo-
ris quantumvis diuturni pervenies, ut congruā scili-
cet cum probatis Autoribus scribas orationem, nisi
contrarium huic regulæ teneas. Nam si hanc regu-
lam ducem sequeris, innumerabiles Solæcismos con-
feceris. Jubet illa genus facti exprimere Ablativo.

Quis autem ex bonis Autoribus unquam dixit: Ar-
guo vel Accuso te scelere, maleficio, peccato, impieta-
te, crimen? Ubi legitur, Incuso, insimule, infamo, co-
arguo, defero, acquiro, postulo, convinco te peccato,
probro, crimen scelere maleficio, impietate, facino-
re, injuriis? Ubi extat: Damno vel condemnno te mor-
te, nece, gravi supplicio, duplo, triplo. Vide meam Dis-
sert. p. 339. & Gram. p. 194. Videmus igitur quòd fal-
satum illa conformitas in scholis nequaquam salu-
taris, sed summe perniciosa sit, nec quicquam inde ad
retinendam veterem Grammaticam, concludatur.

IV. OBJECTIO. Sustinuit ista Grammatica
censuram utriusq; Academiæ & Scholarum Il-
lustrium. Ergo est bona & merito retinetur.

*Non parcunt nostris Academiis & Scholis, qui hoc
argumento contra me utuntur. Quid enim? Si ex
illustris.*